HUGO DE SANCTO VICTORE
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 49r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26478
Copyright: Admont, Benediktinerstift



calefacit intrinsecus. & non sinit arescere fri
gore infidelitatis in hyeme presentis uite.
& quamdiu hec spes uiuit in nostra mente. nunquam
arescet arbor sapientie. sed quemadmodum lignum
illesum seruat uirorem suum. dum equalem habet
contemperantiam humoris & caloris. sic animus
arescere non potest. quem & calor spiritus sancti
nutrit. qui desuper radiat. & studium bone
operationis quod subtus rigat. Quomodo frondescit

Decimo loco adiunctum est per circum
spectionem frondescit & expandit ramos.
Quidam sunt in quibus sapientia in altum crescit. quidam uero
in quibus in latum se expandit. In contemplatiuis
in altum surgit. quia per acumen mentis penetrant usque
ad contemplanda secreta celestia. in actiuis
in latum se expandit. quia hii intentionem mentis
sue multiplicitur foras spargunt ad dis
pensanda terrena. Sed uero non nulli qui per quietem
diuinitus sunt concessam. primo multum in contem
platione excrescunt. sed dum uident alios
simpliciores fratres terrenis actionibus oc
cupari. eos in comparatione sui despiciunt.
& dum ipsi steriles sint a bono opere. bona
tamen opera in aliis non pertimescunt iudicare.